

beateque virginis marie matris eius sancti iohannis baptiste [sancti martiris Eskilli atque pontificis et in remissionem meorum peccaminum meque [ɔ: meeque] anime deo auxiliante de hoc seculo egredienti cupiens salubriter prouidere sub testamenti sirographo meum in hunc modum testamentum facio ordino et dispono, in primis ecclesie mee parochiali in Eskilstunum Sub cuius fundamento corpus meum submitti et sepeliri eligo lego V:que, solidos terre. in hælghæstum tam pro sacris indumentis sacerdotalibus quibus corpus meum fuerit involuendum, quam cera debitis diutinis contractis eidem ecclesie ex bonis propriis persoluendis. Item fratribus in Eskilstunum apud quos eligo sepulturam III:or solidos cum dimidio terre cum II. denariis, in woldby eiusdem parochie ac III:or, denarios, in wrethum in parochia sundby iuxta brosund, Item ancille mee ingræth III. vaccas vnam ollam cupream, vnam ampheram(!) de stanno, Item famulo meo Wlf capam meam cum capucio et vnum pollidrum, In cuius facti evidenciam Sigillum fratris Gisiconis prouisoris in Eskilstunum apponi peto humiliter et deuote cum proprium non habeo quem huius mei testamenti exsecutorem constituo sicut deo voluerit respondere, Actum et datum anno domini M^o. CCC^o, XVIII^r, in villa superscripta presentibus domino olauo de Eskilstunum et domino Nicholao de thørsæriæ ac aliis fidedingnis(!).

Sigillet bortfallet från den ur brevet klippta remsan.

2131.

1318 d. 9 Jan.

Stegeborg.

Konung BIRGER besäller invånarne i Tiundaland, att till utvalde Ärkebiskopen Olof och hans Kaniker återbetala den tionde, som af Hertig Waldemar under de föregående 3 åren blifvit dem beröfvad, samt att för framtiden, på öfligt sätt, till dem utbetala nämnda tionde.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl.*).

BIRGERUS dej gracia Sweorum gothorumque Rex. Omnibus Tyundiam et Attundiam inhabitantibus, jn domino graciam dilectionem et salutem. Quia venerabilis pater Dominus Olauus dej gracia Electus vpsalensis Ecclesie consecratus, et Canonici ecclesie eiusdem, per triennium proximo preteritum, contra deum et justiciam, ac velle nostrum, necnon antiquam et approbatam penes vos consuetudinem, suis canonicalibus decimis sunt priuati. Ex mandato fratris nostri Domini Waldemari Ducis, Eis, ipsas solui decimas prohibente,

*). Af detta bref finnes på samma ställe ett lika lydande original-exemplar, der sigillet är bortfallet, men remsan qvar.

bente, Nos huiusmodj prohibucionem tam jniuriosam, et predicte consuetudini omnino contrariam, nullatenus decetero tollerare volentes. Vniuersitati vestre sub optentu gracie nostre firmiter precipimus per presentes Quatinus Eidem venerabili patri Domino Olauo, suisque successoribus, et canonicis supradictis. ipsas decimas cum omni integritate et debita promptitudine, nunc, et deinceps exhibere et soluere studeatis, sicut decime ipse Eis, ab antiquo consueuerant exhiberi. Mandamus eciam omnibus et singulis, ad quorum manus eedem decime infra triennium predictum, Ex cuiuscunq; mandato deuenerant, vel qui ipsas qualitercumque detinuerant, vt memorato domino Olauo Electo vpsalensi, prout per ipsum, vel mandatum suum requisiti fuerint, predictas decimas jntegre restituere, et de ipsis raciocinia plena, et sufficientem compotum reddere non omittant, sicut diuinam et nostram indignacionem et vindictam voluerint Euitare. Datum stekaborgh. Anno domini. Millesimo. CCC^o. XVIII^o. secunda feria infra Octauas Epyphanie Eiusdem.

Sigillet krossadt.

2132.

1318 d. 18 Jan.

Hertigarne ERIK och WALDEMAR upprätta i fängelset deras testamente, hvorigenom de stifta kanonikat i Upsala, Linköpings och Skara domkyrkor; gifva penningar till kyrkor, kloster, hospitaler m. m., för hvilka gåfvor de pantsätta sina gårdar Svartsjö, Algö och Hammarö.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl.*).

Jn nomine domini Amen, Anno ab incarnatione eiusdem. M^o. CCC^o. decimo octauo die beate prisce virginis, Cum constat, quod ex nichilo condita, ad suam naturaliter tendunt originem vniuersa, et quod ea solummodo hominem ex hac vita migrantem sequi noscuntur, que ab ipso ad opera pietatis fuerint misericorditer erogata, Nos ERICUS et WALDEMARUS dej gracia duces sweorum, sani mente, et corpore, licet captiuati, testamentum nostrum condimus in hunc modum, Jn primis damus ecclesie vpsalensi, XL:ta marchas denariorum ad fabricam, et duos baldechinos ad ornatum ecclesie eiusdem, in qua vnam canoniam fundari volumus ob nostrarum remedium animarum, Ecclesie linchopensi. XL:ta marchas denariorum ad fabricam, et duos baldechinos ad ornatum. Jn qua eciam vnam canoniam fundari volumus, vt superius est expressum, Ecclesie scarensi XL:ta marchas denariorum ad fabricam, et duos baldechinos

* Fins äfven i en af Biskop Carl i Linköping den 19 Dec. 1321 utgifven vidimation.

Sv. Diplomatarium III.